



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Irritamenta malorum vitanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Non pugnis, durave exercent membra palastrâ:
Sed mensam, & citharæ strepitum, dulcésque choreas,
Stragulâque, & molles curant per balnea lectos.

Nulla societas est virtuti cum voluptate. Testatur Seneca, lib. de beata vita c. 8. Virtus malâ vitam non admittit: & infelices quiddam non sine voluptate, imò ob ipsam voluptatem sunt: quod non eveniret, si virtuti se voluptas immiscuisset, quâ virtus sæpè caret, nunquam indiget. Quid dissimilia, imò diversa componitis? Alcum quidam est virtus, excelsum, regale, invictû, infatigabile: voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices ac popinæ sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia promuris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem; circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia; mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam. Nihil igitur Ulyssi cum *Alcinoi* (ut adagio fertur) *mensa*, luxu & epulis distentâ. Frugalitatem docuit eum patria Ithaca, quæ juxta Homerum aspera quidem erat, sed bona *εργασίως*, id est, juvenum alitrix: dum eos consuefecit frugaliter, & continenter vivere, & ad omnem virtutis functionem exercuit, paupertate Magistra.

III. (c) Ut *Alcinoi mensa* in adagiis, sic *mensa Sybaritica* celebratur, id est, mollitiæ ac deliciis luxurians. Sybaritæ enim in regione Tarentina populi, homines fuerunt in omne genus deliciarum, luxûs, & libidinis intemperatissimè effusi. Inde quidquid esset molle, effeminatum, luxuriosum, ambitiosè apparatus, dictum est Sybariticum. Iidem omnes artes, quæ cum strepitu exercentur, ut fabrorum, ærariorum, & materialiorum in suam civitatem recipi noluerunt: & ne alicunde somnus interrumperetur, gallos gallinaceos perpetuò exiliò multarunt. Magni stetit ipsis hæc mollities; nam cum equos instituerint, ut ad tibie cantum saltarent, Crotoniatæ finitimi, hostes eorum perpetui, in ipso prælii congressu modulamen equis Sybariticis assuetum, classici loco incinuerunt, quò illi exultabundi, infessores hostili ferro objecerunt. Cautior Ulysses, quem ne perderet luxus, vitavit irritamenta malorum, Alcioni mensas & hortos.

IV. (d) Denique Ulyssis casus & labores ad varia virtutis experimenta referuntur à Mythologo lib. 9. c. 1. Sociorum illius pars in præliis adversus Ciconas amissa: pars à Læstrygonibus absumpta; nonnul-

li à

(c) Irritamenta malorum vitanda. (d) Virtutum experimenta.